Dissertatio Medica.

Observationes circa Exanthema Scarlatinosum,

quas,

Cons. Fac. Med. Lundensis,

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Medic. Pract. Prof. Reg. & Ord.,

pro

Gradu Doctoris Medicinæ

p. p.

ANDREAS ULR. MONTÉN,

Med. Licentiatus,

In Academia Lundensi d. XXI Dec. MDCCCXXXII.

h. a. & p. m. s.

Londini Gothorum,
Ex Officina BERLINGIANA MDCCCXXXII.

Observationes circa Exanthema Scarlatinosum.

Prima præsentis epidemiæ Scarlatinosæ vestigia ante annum in vicinia nostra apparuerunt; Neque tamen late vagabatur, nec adeo multos simul invasit, sed lente incedens agrestium tuguria hinc inde infestabat; miasmate, non contagio, ortam et propagatam crederes. Indoles passim inflammatoria in nervosam prona adeoque morbus, ut natura et decursu dirus, ita exitu sæpe tristis. Per æstatem disparuit, licet pluviosam satis et frigidam, primo autumno inter tusses et anginas reditura. Tussis convulsiva jam in quartum annum populariter grassari pergit, et anginæ catarrhales Scarlatinis intermixtae fere quotidie obveniunt, singulæ aëre humido frigida excitatæ. Scarlatina jam urbes ingressa vicina rura fere omnis deseruit. Natura mali ad intemperiem aëris et tempestatis vicissitudines, quæ certe crebræ fuerunt, composita, catarrhalis, inflammatoria, nervosa. En simplicem ejus imaginem.

Inter fugaces horrores et reliqua febrium prodroma, citius tardius transitura, *faucium dolores*, qui primi et perpetui fuerunt morbi nuntii, et dysphagiam, queruntur correpti; tonsillæ, vel una vel utraque, tumidæ, rubescentes cum faucibus inflammatæ; sed rubor faucium et phlogosis deglutitionem magis dolentem reddere, quam tumore partium impedire videntur. In aliis sub declinatione magis, quam sub initio scarlatinæ doluisse fauces, haud raro nos quoque observavimus. Ubi angina molestior, ibi reliqua symptomata mitiora, et morbi decursus regularis; sed ubi cito transeat, cerebri affecti signa comparent, quæ vero, angina revocata, mitigari solent. — Huic symptomati mox supervenit *febris* et æstus. Inflari facies et purpurascere vel collabi etiam et livere; tumere palpebræ, collum; rubescere oculi et lacrymis superfundi, lucis impatientes; obturari nares; pectus spiritu laborare; turgere, ardere et exsiccari cutis; rigescere artus, conspiciuntur. Vomunt plerique, alii sub ipsa invasione, alii vero et plurimi mox ante exanthematis eruptionem. Sudor ante solutum morbum rarus; pulsus singulis incitati, frequentissimi, quibusdam initio dicroti; lingua in synocha aridissima, inter strias albescentes ruberrima, epidermide quasi destituta, in asthenia per totum morbi decursum humida, sordibus parum onerata; urinæ vel retentæ, vel sæpius sed parci-

us, cum ardore et fœtore insigni, vel aquosæ large redduntur; alvus initio morbi plerumque adstricta, tertia, quarta die in levem diarrhœam soluta, atque iterum haud raro cohibita, donec morbus omnis evanuerit. Ad noctem manifesta febris exacerbatio, auctis siti, calore et pulsuum frequentia; somnus vel nullus, vel soporosus. — *Meninges et cerebrum* sollicitari docuerunt vertigines, deliria, sopores, ægroti anxietas et in lecto jactationes, præeunte capitis dolore, quæ singula, licet in plerisque leviora, in nullo plane desiderantur, eoque plerumque graviora comparent, quo angina levior, ratione antagonistica inter fauces et cerebrum observata. — *Ipsum Exanthema*, cujus rudimenta sub graviori morbo jam primo die interdum ad faciem notari possunt, in plerisque vesiculis miliaribus obsitum, eoque scabrum, secundo nycthemero transgresso, sub ardore cutis, tumore, rubore et molesto pruritu, quasi aciculis pungeretur, plerumque erumpit. A facie ad collum, pectus, artus, et universum corpus spargitur, quo facto in leviori morbo haud obscura symptomatum remissio observatur; interdum nullus in erumpendo ordo est; quæ prius intumuerunt partes, in illis exanthema prius effloruit, sive summæ sive imæ fuerint, in graviori synocha copia majori, sub phlogosi, sopore vel delirio. In febre nervosa tardius erumpit, exiguum, brevi transiturum et lividum. Beni-

gnioris morbi per stadia decursus is fuit, ut sexta morbi die defloruisse exanthema videretur, quo facto desquamari cuticula incepit vel in furfures abire. Jam tussi ad vesperam sicca, noctu humida, sollicitari incipiunt et mucum tenacem exscreare; inde redire somnus, solvi deliria, sopores et angina conspiciuntur. Cæterum signa critica eo magis obscura quo minus regularis et benignus morbus fuerit. In paucis sudor comparuit, nec facile provocari potuit. Lotium quidem morbo fracto liberius fluxit, sed alvi tarditas in plerisque convalescentibus perduravit. Epistaxin sub hac epidemia in nullo vidimus, licet vehementi synocha affligerentur. — Pro numero ægrotorum certe multi oppressi, cum ab initio Septembris ad medium Decembr. in parœcia Lundensi XXIX juvenes et parvulos scarlatina sustulerit, XIJ pueros et XVII puellas. — Eorum qui convaluerunt haud pauci diu inter spem et metum habiti, langvidi et exhausti.

Vix aliquod viscus, vix aliqua corporis pars, quæ hoc morbo non tentata fuerit; præcipui autem ejus foci, e quibus ignes et furores mittit, fauces, cerebrum et cutis sunt.

Ad morbum *disponunt*, ut notissimum, ætas juvenilis et teneritas cutis. Plethorici præ reliquis corripiuntur, et inter adultos fœminæ præ maribus. Receptivitati addunt frigus, corpore acceptum, in primis mane

vel ad vesperam, et vitia diætæ. *Excitant* miasma et contagium, sive aëre effluviis infectorum repleto inspiratum, sive attactu susceptum. Vestibus per annos inhærere contendunt. Nec facile desturendum venenum, quod frigore suscipitur tantoque corporis ardore et incendio producitur. Eo majori inficiendi vi contagium pollere videtur, quo vehementior morbus fuerit. Momentum infectionis sentire correpti solent, dum contagium inspiratur; nec diu in corpore latere constat, quin uno alterove nycthemero præterlapso præsentiam suam manifestare soleat. Miasmate ortum utique diutius latet. In solo catarrhali facilius provenire et intemperantius se gerere conspicitur Scarlatina, atque huic basi innixa, præcipua sua elementa ex typho et morbillis mutuari, utriusque progeniem se profiteri videtur, nec ab origine stirpem degenerasse, constat.

Prognosis plerumque dubia est, licet sæpius plus terroris quam periculi habere videretur morbus. Ne specie levitatis medicum imprudenter securum faciat cavendum; nec obliviscendum quæ maneant pericula, morbo superato. Mitissima subinde; nonnumquam passim funesta.

Curationi omnium primo maxime interest, vim morbi et nimium impetum ab organis centralibus arceri et reactionem ad omne corpus æquari; ebullitionem sanguinis et fervorem temperari; nimiam systematis cerebralis

et gangliosi sensibilitatem, a sanguinis congestionibus et irritatione repetendam, removeri, et denique perfectam morbi solutionem per secretiones criticas promoveri; quæ singula regimine, diæta et pharmacis obtineri debent.

Temperatura cubiculi subfrigida sit, nec VIII-X° Reaum. excedat, donec stadium desquamationis aliquanto altiorem poscat, ægroto stragulis leviter obtecto atque contra aëris perflatum tutato. Neque prudentis sit convalescentem ægrotum ante peractam desquamationem domum exire vel frigidior auræ se objicere; per tres ad sex septimanas domi se teneat. Sunt utique, qui hoc rejiciant; sed timidi mater flere non solet. Motibus quoque fortioribus convalescens corpus exercendum, sed ab animi contentionibus ante recuperatam valetudinem abstinendum. Pro potu et alimento juscula vegetabilia per decursum morbi sufficiant. Fructus maturos crudos vel coctos ad sitim levandam commendant; in nimio æstu et flagitante ægroto aquam frigidam concedimus.

Simplicis et catarrhalis Scarlatinæ cura regimine potius, quam medicamentis continetur, nisi quibus secretiones alvinae leviter promoveantur et caloris vehementia temperetur: emulsio et haustus salini, solutio citratis et acetatis Kalici, supertartras Kalicum potui admixtum, cet; in his et similibus ad desquamationem usque pergendum, atque illa ingruente cum vino stibiat. solut. acetatis am-

monici, infuso florum sambuci, jungenda. Vomitum ciere, nisi ob statum nervosum, discrimen habet, ob congestiones in cerebrum; utique vomitum sine noxa etiam in Scarlatina inflammatoria patiuntur ægroti; sed minus nocent quæ necessitate quadam naturæ fiunt, quam quæ arte coguntur. Si ante desquamationem venter solutus sit, videndum ne exhauriat diarrhœa aut nimis a cute abducat; mucilaginosis potibus, sepositis quæ intestina sollicitent, sine negotio sistitur. Ad opium certe non confugimus. Neque sudorifera ante desquamationem indicata; cutis enim inflammatione congestiva patitur nec perspirationi idonea. Sub efflorescentia cerebrum maxime peti observatur, quod tamen in levi morbo transitorium. In synocha vero graviori encephalitidis et apoplexiæ metum habet, adeoque derivantibus sollicite subveniendum; cavendum tamen ne, largiori methodi antiphlogisticæ usu, transitus ad statum nervosum præparetur. Ad frigida fomenta, aqua simplici, vel aceto mixta parata, ubi exanthema nimia copia erumperet, cutisque nimis excandesceret, pulsibus magis magisque citatis et ægroti validis et continuis deliriis corriperentur, pluries et feliciter refugimus, tentatis prius alvum leviter ducentibus. Primum tepida, deinde frigidiora ad manus et pedes, caput et pectus administrari curavimus. Nec periculi aliquid habet prudens frigoris usus ad moderandum cutis incendium, quo organa centralia et omne corpus deflagrari minatur; neque si adeo fugacis naturæ ipsum exanthema sit, ut cutem facile relinquat et interiora corripiat, hoc a frigoris in cutem effectu, sed a nimia systematis nervosi sensibilitate, vel collapsu, repetendum, quod hypersthenica irritatione efficitur. Tantæque fiduciæ apud exteros habetur hæc refrigerandi methodus, ut nullum præsidium tutius in ca-

sibus dubiis, periculosis vel desperatis judicent. Ægrotos vero toto corpore aqua frigida perfundere, nisi in complicatione putrida, non ratum habemus.

Angina in plerisque levis fuit, licet vehementis exempla non desint; altera, tertia die aliquando disparuit, insurgentibus cerebri affectionibus; sed majori epispastico ad nucham posito rediit. Hirudinum usus anceps.

In statu quoque nervoso fomenta frigida calenti capiti imponimus, *sinapismis* die nocteque ad omne fere corpus per vices adplicatis, et *infuso valerianæ* cum exigua solutionis acetatis ammonici dosi juncto, interne exhibito: nam ad fortiora nervina adscendere neque opus fuit, nec cautum. *Hydrargyrus dulcis* ad præstantissima in hoc malo medicamenta pertinet, ut antiphlogisticum, revellens et laxans. — Febre gastrica et putrida hæc epidemia scarlatinosa caruisse videtur.

Incautis anasarcam supervenisse vidimus. Juveni facies intumuit, jam quatuor septimanas convulescenti, lecto ad januam cubiculi posito aërisque perflatui obvio. Multis nares diu aridæ, sæptæ, et quibusdam aures ad surditatem usque obturatæ. — Alios glaudalarum colli obstructiones vexarunt, quibus asperæ arteriæ inflamationem cum exitu funesto accessisse dicunt. Unum alterumve apoplexia sangvinea, nervosa ex inopinato absumsit. — Gravissimæ quoque exstiterunt viscerum abdominalium inflammationes, inter quas hepatitis exemplum habemus, morbo, ut videbatur, superato, obortam. Febricitare denuo, sitire, e somno cum terrore expergiscere, toto corpore flavescere et extabescere cœptum, hypochondriis et abdomine late dolentibus, attactum recusantibus; urina fœtida ex fusco turbida; alvus adstricta; vomitus, viribus indies deficientibus. Sed usu præcipue hydrargyri dulcis ad oris ulcerationem continuatus, balneis, inunctionibus, cet. morbus fugatus.